



DE
MYTHOLOGIA GRAECORVM
ANTIQUISSIMA
DISSERTATIO

SCRIPTA
CREATIONE
XIII. PHILOS. DD. ET AA. LL. MAGISTRORVM
RECTORE MAGNIFICO
ET
ORD. PHILOS. DECANO
ERNESTO CAROLO WIELANDIO

S. R. M. BORVSS. CONSILIARIO AVLICO. HISTORIAR. PROF. P. ORD.
COLLEGII DVC. MIN. SODALI. SOCIET. TABLONOVIANAE ALIARVMQVE
ACADEMIARVM SOCIO

PROCANCELLARIO
CHRISTIANO DANIELE BECKIO

GRAEC. ET LATT. LITT. PROF. P. ORD. POT. REGI SAX. A. CONSIL. AVL.
REGII SEMIN. PHILOL. DIRECTORE. ALVMN. REG. ETHEOR. BIBLIOTH.
ACAD. PRAEFECTO. ACAD. DECEMVIRO. FAC. PHIL. SENIORE. SOCC.
TABLONOV. ET OEGON. LIPS. LATINAE IEN. VELITERNAE ARCHAEOLOG.
REGIAE BAV. MONAC. ET ALL. SODALI

A
GODOFREDO HERMANNO
EQVITE ORD. SAX. VIRT. CIV. ELOQ. ET POST. PROF. P. O. GET.

DIE XX. FEBR. A. CCCLXXXVII

LIPSIAE
LITTERIS STARITZII



Ex omnibus, quotquot hodie supersunt, Graecarum litterarum monumentis nullum, mea sententia, memorabilius est, quam Theogonia Hesiodi. Quod carmen et si nec magnitudine, nec splendore argumenti, rerumque aut dictionis varietate atque ornatu ad Homeri aliorumque clarorum poetarum scripta comparari potest, tamen aliam, eamque ita propriam commendationem habet, ut ea causa etiam anteferendum illis poematis esse videatur. Dico autem non reconditum quiddam et abstrusum, sed id, quod quum cuivis primum in mentem venire debeat, propterea neglectum est, quia parum fructuosum fore putabatur. Nam quis non ante omnia, unde acceperit Hesiodus narrationes illas de originibus deorum, et qua ratione, quoque consilio de iis exposuerit, quaerendum censeat? At enim quod ad fontes attinet, ex quibus hausit ille, quum plerique hanc quaestionem non propriam Hesiodei carminis, sed communem universae Graecorum mythologiae esse opinarentur, seiuixerunt eam ab interpretatione Theogoniae. Quo factum est, ut alterum illud investigare, quomodo eas res narrasset Hesiodus, supervacuum putarint. Ad ipsam vero mythologiae Graecorum explanationem quum duplex via pateat, eam plerique omnes ingressi sunt, ut, quoniam ex orientis regionibus omnis ista doctrina derivata est, quidquid de Indorum, Phoenicum, Aegyptiorum, aliarumque gentium sapientia compertum habemus, ad Graecas fabulas applicarent. Vnde quanta perturbatio orta sit mythologiae, quantaque dissimillimarum rerum permixtio atque confusio, satis inter omnes constat. Multo rectior, ut mihi videtur, altera via est, quae versatur in eo, ut exclusis, quae ab aliis gentibus probata fuerunt, illa, quoad fieri potest, persequamur, quae a Graecis ipsis sunt tradita. Quorum quum nihil

A

habeamus, quod Homero Hesiodoque antiquius sit, ab his omnis ista ordienda videtur disputatio, praecipue autem ab Hesiodo, quod is non dispersim, neque obiter, ut Homerus fecit, sed ordine et de industria doctrinam illam exposuit. Quo autem modo ex Hesiodi Homerique carminibus enucleanda esset ista ratio mythologiae, plerosque omnes latuisse video: siquidem etiam Heynus, qui rectius quam alii de his rebus sentiebat, in commentatione de Hesiodi Theogonia ex illis duobus, quae in hoc genere ut maxime memorabilia, ita ad enodandam rem unice opportuna sunt, alterum modo obiter attigit; alterum, idque primarium, plane praeteriit. Et hoc quidem in eo est positum, quod nomina deorum omnium origine Graeca sunt, et a munere cuiusque dei atque officio petita. Nam ut nonnulla horum nominum, aut, si cui ita videbitur, omnia in oriente nata sint, at illud tamen apertum est, a Graecis ea Graeca facta, significatusque iis eos attributos esse, qui cum lingua Graeca convenirent. Vnde intelligitur, ex nominibus naturam et munia cognoscenda esse deorum. Nec deorum tantum, sed etiam herorum, omninoque rerum omnium, nominibus, quae propria vocantur, appellatarum. Quis enim non miretur, pleraque herorum, et qui deinceps ex iis procreati sunt, nomina ita cum factis eorum et rebus gestis convenire, ut non ante, quam quisque res illas gessisset, sed post imposita fuisse probabile sit? Illustrum exemplum praebent ipsae res Troicae, in quibus qui inclaruere plerique (nam quare non omnes, non est obscurum) iis vocati sunt nominibus, quae poetarum ex factis eorum commentos appareat. Hinc valde suspecta fides illarum historiarum, ut partim penitus fictae, partim aliquid veri fictis nominibus tegere videantur. Verum etsi difficillimum est, vera fabulosi temporis a fictis dijudicare, tamen, qui sobrie satis et caute in hac procedet, aliqua certe, quibus insisti possit, vestigia deprehendet.

Alterum, quod in explicanda Hesiodi Homerique mythologia maximum momentum habet, illud est, quod hi poetae ita fabulas istas referunt, ut eos sensum earum plane ignorasse appareat. Quod animadvertisit quidem Heynus, sed ut non tan-

tum, quantum debebat, huic rei tribuerit. Nam quum bene intellexisset, utrumque poetam multa ex vetustioribus carminibus haussisse, admonendi erant, docendique, qui explanare fabulas illas instituerent, non esse, quid Homerus aut Hesiodus sensisset, investigandum, sed quid illi dicere voluissent, qui his auctores fuerunt. Sic redibitur quidem ad allegoricam interpretationem harum rerum, sed alio modo, quam qui merito ab recentioribus interpretibus explosus est. Exemplum afferam, quo nullum illustrius inveniri potest. Non immerito risit Lucianus notissimos illos in Odyssea versus:

τὸν δὲ μέτ' εἰσενόμοια Βίην Ἡρακλεῖν,
εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' αἴσανάτοις Θεοῖσιν
τέρπεται ἐν Θαλῆς, καὶ ἔχει καλλισφυγον Ἡβῆν.

Refert Homerus accepta, mirabilia illa quidem atque incredibilia, sed credita tamen: unde pro simplicitate sua non est sollicitus, quomodo idem simul et apud inferos et apud superos dener possit. At qui haec invenit, perabsurdus fuisset, si commentus esset, quod fieri nequirit. Absit vero talis suspicio. Nam ille quem a gloria Ἡρακλέα appellavit, virtutem voluit intelligi viri fortis ac strenui: qui ubi moreretur, ipsum, ut mortalem, ad Orcum dixit descendere; virtutem autem, ut eam aeternam esse, seniisque expertem ostenderet, apud immortales Iuventae consociavit. Qua fabula nihil profecto neque aptius potuit, neque splendidius inveniri. Huiusmodi vero plurima sunt apud Homerum, quorum nonnulla non sunt in omnium conspectu posita: ut quae in Iliidis libro secundo de sceptro Agamemnonis narrantur: quae ita sunt comparata, ut Homerus longe aliter omnia fuerit enarraturus, si intellectam habuisset mentem illius, a quo ista acceperat. Quem si reputamus Peleopi eiusque genti regnum Peloponnesi datum dicere, nec Tantali mirabimur non esse mentionem factam, neque in his, quae non sunt ex more Homeri eo loco dicta, offendemus.

Haec igitur illorum, qui auctores fuerunt istarum narrationum, eruditio, Homeri autem Hesiodique earumdem

rerum ignorantia, quid aliud, quam veluti nube dispulsa ad immensa temporum spatia prospectum aperit, quibus et emicuit in Graecia lux sapientiae, et clare fulsit, et paullatim rursum extincta est. Videmus rerum divinarum humanarumque scientiam ex Asia per Lyciam migrantem in Europam; videmus fabulosos poetas peregrinam doctrinam, monstruoso tumore orientis sive exutam, sive nondum indutam, quasi de integro Graeca specie procreantes; videmus poetas illos, quorum omnium vera nomina nominibus ab arte, qua clarebant, petitis obliterata sunt, diu in Thracia haerentes, raroque tandem etiam cum aliis Graeciae partibus commercio iunctos: qualis Pamphus, non ipse Atheniensis, Atheniensibus hymnos deorum fecit; videmus denique retrusam paullatim in mysteriorum secreta illam sapientum doctrinam vitiatam religionum perturbatione, corruptam inscitia interpretum, obscuratam levitate amoeniora sectantium, adeo ut eam ne illi quidem inteligerent, qui hereditariam a prioribus poesin colentes, quum ingenii excellentia omnes praestinguenter, tanta illos oblivione perferunt, ut ipsi sint primi auctores omnis eruditiois habiti. Nobilis est hanc in rem sententia Herodoti, qui et si non recte, tamen, ut illo quidem aevo, admirabili perspicientia, lib. II. c. 53. ita de Homero et Hesiodo scribit: *Ἐτοι δέ εἰσι οἱ ποιήσαντες Θεογονίην Ἑλλῆσι καὶ τοῖς θεόσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες, καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες, καὶ εἰδεῖς αὐτῶν σημάναντες· οἱ δὲ πρότεροι ποιηταὶ λεγόμενοι τέτοι γάνθοῦ γενέθλαι, ὑσερον, ἐμοὶ γε δοκεῖεν, ἐγένοντο τέτοι.* Quem mirum est quosdam non vulgaris doctrinae viros hoc dicere opinatos esse, primos, qui veribus eas res exponerent, Homerum et Hesiodum fuisse: quod a mente eius alienissimum esse, perspicuum est. Hanc vero tam immensam praestantissimorum monumentorum iacturam aliqua saltem ex parte compensare poterimus investigandis, quaecumque supersunt eorum vestigiis: quibus diligenter collectis, recteque explicatis, historia quaedam condi poterit temporum, quae ante Homerum et Hesiodum fuerunt, eaque talis, quae uberrimam contineat utilissimarum quaestionum materiam. Est autem in hac omni ratione iudicio maxime opus, quia non

testibus res agitur, sed ad interpretandi sollertia omnia revocanda sunt: in qua hoc tantum spectandum, ut procul habita temeritate arbitrii, nihil, nisi quod res ipsa verum esse apteque cohaerere ostendat, admittatur. In quo genere ut plurimum difficultatis habent confinia fabulosi temporis et eius aevi, in quod historiae primordia incident, ita saepe etiam fabulae ipsae propter mutations atque additamenta, quibus nunc temere, nunc etiam certo consilio deformatae reperiuntur, impeditissimae sunt.

Experiar huiusmodi interpretationem in Hesiodi Theogonia. Quod si, ut supra dixi, nomina ipsa, quae res iis nominibus appellatae sunt, indicant; Hesiodus autem, sensu fabularum, quas refert, minime perspecto, nihil aliad, quam tradita ab antiquis et credita ab aequalibus carmine exponere voluit: plana est via, qua explicari doctrina ista debeat, dummodo ea; quae poetae ignorantia addita sunt, ab iis, quae ille ab antiquioribus acceperat, dijudicare sciamus. Apertum vero est, hanc Θεογονίαν, quae vocatur, Κορυφογονίαν potius dicendam esse, siquidem in mundi creatione vitaequis hominum perfectione non modo principium carminis, sed, ut interpretatio nostra docebit, totum carmen versatur.

Igitur antiquus ille philosophus, quem auctorem sequutus est Hesiodus, primum omnium existisse dixit Χάος: quam ille non, ut postea plerique, rudem indigestamque molem materiae, sed propria nominis significatione Spatum, quod omni materia vacuum est, intelligi voluit. Nam postea demum creatum dicit Materia, cuius et Graecum nomen Τάχα, et Latinum, ab eo ductum, quod creandi in se femina continet. Ei addidit Εγέρη, nomine a verbo εἴγειν derivato, Iugatinum, quod sine eo iners, iacuisset materia, nec quidquam creatum esset. His tribus, positis elementis, spatio, in quo sunt cuneta; materia, ex qua fiunt omnia; vi denique copulatrice; ad ipsam accedit rerum creationem explicandam. Nam versum, in quo Tartarus primordiis illis adnumeratur, si non ab interpolatore, certe ab Hesiodo additum esse, verisimillimum est. Primam igitur progeniem Χάος, Spatum, generavit, quae nominata est Εγέρη et

Nūξ, ex eorumque congressu editae dicunt Alθηρ et Ἡμέρη, miro ad primum adspectum commento, quum repugnare videatur. Nōctem ex Tenebris Aetherem et Diem parere. At enim vero meminisse debemus, multa in hoc genere nomina inveniri, quae longe alias initio significaciones habuerint, quam quas postea usus iis attribuit. Ex Spatio generatae dicuntur, quae duae res propriae eius sunt. Nam ante quam quidquam ex materia creatum esset, vastum inane, in quo ea pendebat, tenebris erat et caligine repletum, quae ab operiendo Ἔρεθος, Opertanus, dictae. Simul autem quoniam etiam movendi conditio omnis in Spatio posita est, creata ab eo perhibetur Nūξ, Nutra, a verbo νύειν dicta, quod est vergere. Nam omnium primus, maximeque simplex motus est, quo gravia deorsum ferruntur. Mansit ab hoc primo significatu perantiquum epitheton noctis θόη ad Homerum. Igitur Nūξ et Ἔρεθος, Nutra et Opertanus, Alθέρα et Ἡμέρην, Clariam et Serenam dicuntur genuisse: quod est, desidente caligine, quae omnia operiebat, superne lucem esse ortam. Nam caliginem antiquus ille cosmogoniae conditor non omni corpore expertem, sed quasi nebulae esse putavit: unde quae defederat, crassiori caligini nomen νοξ mansit. Postea Alθηρ et Ἡμέρη, deflexo nonnihil significatu, aliter dici coeperunt. Recentioribus horum vocabulorum significacionibus priscam fabulam, quae iam non apte inventa videtur, accommodarunt alii: unde hoc est apud Hyginum: *ex Caligine Chaos: ex Chao et Caligine, Nox, Dies, Erebos, Aether.* Ad eamdem recentiorem rationem pertinere videtur, quod ab Hesiodo erat alio loco positum de Βροτῷ, sive Mortali: de quo sic Etymologus p. 215, 37. Ήσιόδος δέ, ἀπὸ Βροτοῦ, τοῦ Αλθηροῦ καὶ Ἡμέρας: quibus verbis divinæ particula aurae mortali corpore inclusa declaratur.

Sequitur, quid Materia, et primum quidem sine coniuge, qui nondum erat ullus, genuerit. Creavit ea autem, primo Οὐρανόν, Superum, a verbo ὄρειν, unde etium ὄρος, dictum, quod caeli fornices, quos Ennius appellavit, ab extremo terrae circuitu in altum curvari viderentur. Caelo creato crassior Materiae pars in eam speciem formata, quam Tellurem vocamus.

Id antiquissimum illud carmen per extrema designavit, Οὐρανόν, Montes, nominans, et Πόντον. Sed hoc postremum nomen non intellexit Hesiodus, quum exornanda rei causa πέλαγος μέγα εἰδίκειται. Θύον addidit. Πέλαγος enim, a verbo πελάζειν dictum, ut ab Latinis Venilia, mare notata: a qua origine etiam πέλαστον, advenae: de quorum sedibus qui quaerunt, propemodum idem agunt, ac si, quod ubique terrarum mercatores ac peregrinantes inveniuntur, hos certos certarum regionum populos esse sibi persuaderent. Igitur Πόντος, Profundanus, non mare est, quod nondum creatum, sed profunditas. Cognatum nomen cum verbo πινεῖν, servatumque in Latina lingua, fundus, sed paulum deflexo significatu. Atque demittere ad fundum maris ποντίζειν dicitur, non θαλασσοῦν, quod aliud est.

Caeli dehinc Terraeque progeniem enumerat Hesiodus, fideliter singulos eo ordine producens, quo sapientissime ab antiquo auctore dispositi fuerant. Vnde multo recentiores esse apparent Orphicos versus in frāgm. VIII. in quibus hic ordo Titanum imperitissime est perturbatus. Primus igitur natus Σκεανός, Celerivena, non ille a verbo νάειν, ut grammatici volunt, sed ab obsoleto σέειν, τέ, dictus, ut ab ὄρειν Οὐρανός. Aliud eius nomen, Όγυη, ab ovo ductum, quod materiam, ut vitellum, in medio aluerit. Intelligitur autem Oceanus non quem postea ita dixerat, sed vis aquarum, quae ingenti impetu effusa universum orbem terrarum inundavit atque obruit. Quae quum refererat, ut hoc addam; tum dénum maria, flumina, fontes apparuerunt. Inde Homerus:

ἔξ οὖπερ πάντες ποταμοί, καὶ πᾶσαι θάλασσαι,
καὶ πᾶσαι νῆσοι, καὶ Φειλάτα μακρὰ νάουσιν.

Effusionem illam aquarum comitata est ingens elementorum omnium perturbatio, ut disiecta, soluta, permixta, sursum deorsum, ultro citro ruerent, atque ferrentur, usque dum mutuo se ipsa coercendo turbas illas composuerunt. Hunc universae naturae tumultum fratres Oceani alii Titanes denotant, per paria, ut singuli singulis oppositi sunt, deinceps prodeuntes. Ac primo Κοῖος et Κέρως, Turbulus et Seiugus. Et Κέρων quidem

recte iam veteres interpretati sunt, inde dictum videntes, unde est verbum *κέλειν*. In alterius nomine mirifice nugantur, quod ex verbo *κέλειν* ductum est, ut *κλοῖς* a *κλείειν*. Desidunt autem turbida: unde ex eadem stirpe derivata sunt *κούρας* et *κοῖνον*. Post hos videmus *Τρεγλονα* et *Ιαπετόν*, Tollinem et Mersium, quorum prioris nomen a verbo *ἴειν* factum; alterius apertum est. Dehinc *Θεία* et *Πεία*, Ambulona et Fluonia, quarum meare commune est, sed propria sunt, alterius, manere intermeandum; alterius, diffluere ac dissipari. Has sequuntur, postea alia officia nactae, *Θέμις* et *Μηδισούνη*, Statina et Moneta, quarum alterius est, fluxa statuere et firmare; alterius, quiescentia excitare et commovere. Vt triusque nomen apertum, modo alterum quis non a nomine *μηδινη*, sed a verbo *μηδισθαι* deductum meminerit, quod verbum cum affinibus *μάσθαι*, *μένειν*, *μεμονέαν*, *μενονιάν*, a *μάνειν* derivatum, communem habet nitendi notionem, quae est in Germanicis *strebēn* et *stemmen*. Postremae sunt *Φοίβη* et *Τηθύς*, Februa et Alumnia, nominibus non obscuris. Earum altera purgatrix est, removens inutilia et noxia; altera nutrix, utilia et salutaria admovens. Claudit hoc agmen unus, isque et si postremus in lucem editus, tamen ante caeteros nobilis. Is *Κέρων*, Perficus, est, nomine vocatus cognatum verbo *κεράνειν*. Hic ultimus natu, quia denique motus illos composit; et *ἀγκυλοπότης*, quia diuturnum hoc fuit et difficile opus. Vnde postea temporis significatio huic nomini, leviter mutato, accessit: neque enim *Κέρων* a tempore, sed tempus a *Κέρω*, quod cuncta perficeret, appellatum.

Excipiunt hos duae alii Caeli Terraeque generationes, Cyclopes et Centimani. Cyclopes male interpretatur *κλειδούς*. Sunt enim *Κύκλωπες* Volvuli, quos per caelum volutos auribus oculis percipimus, tonitru, fulmen, fulguratio. Hinc nomina eorum, *Ερόντης*, Tonuus; *Στρεόπης*, Praefixius; *Ἄργυρος*, Fulgetrus. Centimanorum generatio primos conatus indicat animatas naturas procreandi: quae immanissimae fuerunt, luxuriante adhuc vi generatrice, necdum modum adhibere docta. Quoniam autem triplex omnino est enomitas, ingenii, virium, formae: tribus ea nominibus comprehensa, *Κόττος* dicta est,

ab nomine *κότος*, Saevio, et *Βριάγεως*, Viriatus, et *Γύνης*, Membro. De hac interpretatione fabulae si cogitavisset Bentleius ad Horat. Carm. II. 17, 14. non dubitanter formam postremi nominis *Γύνης*, quae notior librariis ab rege Lydiae, toties alteri substituta est, ut plane ineptam reieciisset.

Omnis Caeli Terraeque progenies *Τιτῆνες*, Tendones, appellati, non ab alia re, quam quod ultiro citroque tendendo omnem rerum naturam pertentaverint. Mansit cognatum verbum, sed brevi prima syllaba, *τιτανεῖν*.

Tamenta haec fuerant condendas rerum naturae, sed irrita, nondum iusto invento temperamento. Vnde exosus natos suos Vranus, ut quisque in lucem editus esset, rursum occulisse dicitur. Ei rei finem imponere eius erat, qui *Κέρων*, Perficus, vocatur. Itaque antiquus philosophus, ut conquievisse caeterarum virium rudes impetus, solamque superstitem mansisse vim perfectricem indicaret, ab hoc parentem privatum esse generandi potestate dixit, verum non ita, ut, qui iam extiturus esset novus rerum ordo, alium parentem haberet, (qui enim potuisset, quem ex iisdem viribus, ex quibus antea, sed apte temperatis, enasci deberet?) sed ut generandi officium a parente ad ipsam rerum creatarum naturam transferretur. Hinc refectis patris genitalibus sanguinem Terra, semen Mare exceptit. Ac Terra peperit *Ἐρινύας*, *Γηγαντας*, *νύμφας Μελιας*. Quae fabula iis perobscura videatur necesse est, qui Furias, et eos, de quibus postea fabulati sunt poetae Gigantes, intelligunt. Nymphas Melias autem ne veteres quidem, quid essent, perspexere. Antiquus ille cosmogoniae conditor quid senserit, et res ipsa, et nomina declarant. Ut certis et firmis legibus natura adstringeretur, fetus edi necessitatem erat non imperfectos, sed maturos; neque steriles, sed fecundos; neque aversantes se invicem, sed sociabiles. Haec quibus efficerentur triplices naturae vires, earum primas vocavit *Ἐρινύας*, Maturinas, a verbo *ἐλιγύειν*, mutata littera liquida; quod nomen postea ad cunctatricem vindictam sceleris translatum, materque Furiarum Nox esse prohibita; secundas *Γηγαντας* appellavit, Genitales, cuius nominis aperta origo est; tertias

Melias, Cicurinas, dixit, ab ea radice, unde est verbum *μελισσων*. Semen autem Vrani, ab aquis, quia per humores omnis generatio fit, exceptum, creavit *Αρεοδίτην*, Spumicitam, i. e. coitus appetentiam, latentem usque ad tempus pubertatis, unde appulisse dicitur *Κυθήραι*, Latebriis; deinde se prodentem, ex qua re in *Κύπρῳ*, Pronia, nata fertur, quod nomen a vocabulo *κύψης* factum. Iam minus, opinor, mirum videbitur, Hesiodum v. 50. homines et Gigantes coniungere: quo loco non videtur dubium esse, quin hominum originem et generatores dicere voluerit. Indidem etiam in Homericō hymno Apollinis v. 336. de Titanibus scriptum est, *τῶν έξ ἀριδέων τε θεού τε.* Caeterum quem non advertat admirabilis harum de naturae primordiis narrationum consensio cum iis, quae hodie doctorum hominum industria de vicissitudinibus orbis huius comperta habemus, in quo nos senescente iam, medii inter duas ruinas, aeternitatem, serius ocius novis fluctibus perituram, inani labore conlectamur. Mihi quidem maior illa consensio videtur, quam ut narrationes istas nihil nisi commenta esse philosophorum putem. Immo ab illis eas acceptas credam, qui ipsi testes fuerint magnae alicuius conversionis, aliamque viderint orbis terrarum faciem, quam quoad nostri generis memoria pertingit. In qua re non videtur negligenda esse immanum belluarum commemoratio: quantae magnitudinis animalia fuisse umquam vix credibile foret, nisi eruta hic illic ingentia ossa magni nos superficiem sepulcri, alium tegentis et maiorem naturae ordinem, incolere demonstravissent.

Revertor ad Hesiodum: apud quem quae v. 211—232. enumeratur, Noctis, et deinde Eridis propago, aperte ex pluribus est, iisque maximam partem recentioribus commentis petita: ut quod Parcae Noctis filiae dicuntur, de quibus aliter infra v. 904. Quare haec praetereo, praesertim quum nihil difficultatis habeant.

Pergit antiquus auctor cosmogoniae in Ponti progenie. Ac *Πόντος*, Profundanus, qui iam, ex quo profunda aquis repleta fuit, non solam profunditatem, sed simul etiam, quod ea continetur mare, significat, cum Terra coniuge primo procreat

Νηρέα, Neflum, i. e. fundum: qui et primus natu dicitur, quia quos fratres fororesque habet, nituntur ipso; et senex, quia semper immutabilis est; et verax, quia numquam fatiscit, quo facto diffuerent aquae; et aequus, quia tranquillum est imum mare. Proximus ab hoc natus *Θαύμας*, Mirinus, quo prospectus significatur et per se admirabilis propter tam late patens maris acquor, et magis propter illa, quae nascuntur in eo. Tum *Φόρκυς*, Furcus, quo promontoria et quivis aliis e mari extantes scopuli indicantur. Inde Hesychius: *πόρκης*, *γάργανης*. Aliique Grammatici *Φόρκυνα*, *λημένα* interpretantur. Cognata nomina sunt *πόρκος*, *πόρκης*, *furca*. Sequitur *Κητώ*, lacua, affinem cum verbo *κεῖσθαι* originem habens, quae latentia sub undis faxa, occultosque scopulos significat. Denique *Εὔγυβην*, Latipolla, quae est fluctuatio maris.

Quoniam Oceanus fons est omnium aquarum, huius filiarum una uxor data Nereo. Ea, propter opes, quae per mare afferuntur, *Δωρεῖς*, Donona, dicta, quinquaginta parit filias. Harum nomina praetereo, quod interpolata est ista enumeratio apud Hesiodum. Apertum est autem, undas intelligi, quibus a sua cuique potestate imposita nomina.

Thaumanti, sive Mirino, alia consociata Oceani filia, *Ηλέκτηη*, Coruscia. Proprie nomen hoc expurgiscentem notat, ex qua origine sunt etiam *ηλέκτωρ* et *ἀλέκτωρ*. Sed quoniam coruscat mare, quum primum quasi expurgisicit imminentem tempestate fluctuatio, coruscandi significatus adhaesit. Huius filiae sunt *Ιγης*, Sertia, quod ex septem coloribus conferta est. Huc pertinent Theogoniae versus 780-782: alieno loco positi, quorum hic sensus est, raro arcum caelestem conspici, quum tempestas est. Porro *Αρπινῖαι*, Rapae, quarum nomina *Αελλώ*, Voluta, et *Ωκυπέτηη*, Celerivola: quae quid sint, omnibus apertum est.

Phorus autem et Ceto quas generunt filias, quomodo interpretandae sint, magis reconditum est. Est ea duplex generatio. Primae sunt *Γραιαι*, Albuneae: quarum nomen propriæ canas significare, vestigium ostendit in Germanica lingua conservatum, *grau*. Eae sunt undae, quae littori illisae spumas agunt. Nam circa scopulos maxime vel prominentes vel laten-

tes aestuat mare. Recedunt eae autem et veniunt. Inde altera, quod aufert, quae sunt in vado, Πεφηδώ, Auferona, dicta; altera autem a verbo υῶ, Ἐνυῶ, Inundona. A cuius rei similitudine etiam in bello dicitur Ἐνυῶ, et Mars Ἐνυάλιος. Fortasse non diversae ab his erant, quas Augustinus aliter interpretatus est, Abeona et Adeona. Romani Veniliam et Salaciam appellabant. Secunda generatio complectitur Gorgones, quae quum dicuntur πέργη Οκεανοῦ habitare, nihil id aliud est, quam esse eas in medio mari. Nam Oceanus, deposita diluvii significatio-
ne, mare magnum est. Ex hac re, et ex ipsa natura Gorgo-
num, quae ipsae quoque undae sunt, appareat, quare Graeae
earum προφύλακες ab aliis dictae sint. Appellatae autem illae
Τοργόνες, Torvinae, quod magnae sunt, ipsoque aspectu terrent.
Harum tria sunt nomina, a triplici natura: Σθεινῶ, Valeria,
a vi; Εὐρυάλη, Lativola, a magnitudine; Μέδσσα, Guberna,
ab eo quod undarum cursum regit. Hinc intelligitur, cur haec
mortalis, illae immortales dicantur. Nam et vis undarum sem-
per manet eadem, et fluctuatio: cursus autem mutatur, ventis,
annive tempestatis mutatis. Medusam Περσέως, Penetrius,
capite truncasse dicitur. Quod quid aliud est, quam audacem
quempiam iter tentasse per adversum cursum undarum? Vnde
profiliuisse narratur Χεισάωρ, Auripeto, qui est lucri cupidus
mercator, et Πάγυας, Pagulus, a verbo παγγύειν dictus, quod
est pangere: qui est navis: unde etiam equus, usitata transla-
tione, vocatur, ut apud Plautum in Rudente:

*nempe equo ligneo per vias cœrulas
estis vectae.*

Chrysaor iunctus dicitur Καλλιρέη, Pulcrifluae, Oceani filiae:
i. e. fausta navigatione traiecit mare magnum. Inde natus Γη-
ρυογεύς, Fabulo, qui, ut nomen declarat, mendaces fabulas signi-
ficat mercatorum: quare triceps. Sed in sequenti temporis tanta
fuit levitas, ut, qui ridendis his fabulis inventus esset, ipse cre-
dulae ignorantiae materiam fabularum praebuerit. Occidit
illum βίη Ήρακληῖη, virtus Poplicluti, et quidem περιέργυτη εἰν-

Ἐρυθεῖη, in insula vel peninsula Rubellia, (quam ubi terrarum
quaerere, quibus lubet, possint, infra apparebit) imperfecto cane
Orthro et bubulco Eurytione, de quibus mox.

Sequitur alia Phorci et Cetus progenies, Ἐχιδνα, Serpens,
in specu edita, sedem habens sub terra in montibus Turgentinis,
qui a verbo αἴξεσθαι Αἴρυψ dicti, dimidiata mulier, dimidiata
serpens, i. e. ex parte forma spectabili, ex parte autem timenda.
Haec omnia nemo non videt eo conspirare, ut terrae motus, tor-
tuoso cursu procedens, et in capite lucidis flammis conspicuus,
intelligi debeat. Maritus Echidnae datus Τυφάων, Vaporinus,
quem Hesiodus ipse ventum appellat. Ex eo coniugio natus
Ορφέας, Erigus, quem appetet montem esse ignivomum. Is
canis est Geryonae, quod est custos, quo tutae sunt fabulae mer-
catorum, ne alii eodem divitias quaesitum eant. Ei paullo ante
adiungebatur bubulus Εὐγυτίων, Latipoenus, quo late diffusa
vaftatio designatur. Locus autem, ubi haec omnia sunt, Ἐρύ-
θεια, Rubellia, a rubentibus flammis, dicitur. Porro Echidna
parit Κέρβερον, Hiscium, qui transpositis litteris pro κερμερός
dictus videtur. Eum craterem seu fauces intelligi debere, unde
erumpunt ignes, eo confirmatur, quod canis Orci, et χαλκεό-
Φῶνος dicitur. Idem, quod montes ignivomi plerumque non
uno in loco, sed in multis hincunt, ignesque eiiciunt, παντηκο-
τανάργην vocatur. Deinde ex iisdem parentibus nascitur Τρέη
Λεγναῖη, Bullia Palustra. Notum est enim, quassatam infernis
ignibus terram saepe in paludem commutari, aqñis ubique
ebullientibus. Videtur autem etiam nomen Λεγναῖη a λεγώς,
cui cognatum λειρίσεις, quod mollem notat, derivatum: unde
λέγην est palus, atque inde proverbium λέγην κακῶν. Hydram
interemisse dicitur Hercules, qui indicatum quid sit, cum Ιολάω,
Compoplino, cui nomen a verbis λέναι et λαίς. Id est, strenuo
congregati populi labore exsiccata esse loca ista. Tum Χίμαιρα,
Torrentinam, parit Echidna, dictam ab nomine χείμαρρος.
Significat enim profluenta liquefacta saxa atque arenas, quam
hodie lavam vocant: unde et ignem spirare dicitur, et tria capita
habere, sive aptius, ut apud Homerum,

πρόσθε λέων, ὅπιθεν δὲ δράκων, μέστη δὲ χίμαιρα,
 i. e. antrorum vastatrix, in medio torrens, in postrema parte draco, alte flammante cauda. Sédem eius indicatam putant ab Homero Iliad. XVI. 328. quum nutritam ab Amisodaro dicit, (disertius filiam huius vocat Palæphatus, et ex eo Apostolius) quem Eustathius ex veteribus scholiis Cariae regem, Aelianus autem et Eudocia Lyciae fuisse volunt. At hoc quoque montis ignivomi nomen est, Perpetivastius, factum, nisi fallor, a verbis δέρω et μίω, i. e. *findo*, ex quo μίτος, μίνυθα, μίνγος, μίσθος, et oppidum Αμισσος. Occidit Chimaeram, Pegaso, i. e. navi missus illuc, Βελλεροφόντης, Aspricida: Ἀλλαρα enim grammatici ἔχθρα, πολέμια, ὄδικα interpretantur, dicta a verbo ἔλλειν. Itaque hic est fabulae sensus: exsulem navi missum ad locum, ubi devolutis flammis absumeretur, praeter exspectationem salvum mansisse.

Chimaera ex Orthro peperit Φίκη, sive Σφῆγγα, Anginam: quod est, aëstu et fumo suffocatos esse homines; deinde leonem Νεμειάτον, Παβούνιον, quo pestis significatur, ex malis terrae motum sequutis nata. Postea ad Nemeam res omnis et Tretum atque Apesantem translata, vero fortasse leone ansam praebente, cuius antrum adhuc Paufaniae aeo, ut ipse refert II. 15, 2. monstrabatur.

Denique Ceto etiam illum draconem dicitur Phorco peperisse, qui poma Hesperidum custodiebat: quod ipsum de monte ignivomo, et quidem, ut videtur, de Vesuvio intelligendum esse, in promptu est.

Enumeratur deinde Oceani propago. Ei Tethys, ut, quae in terra sunt, nutrimentur, Fluvios peperit, quorum aliquot celebria nomina ipse, ut videtur, de suo adiecit Hesiodus. Porro de ter mille filiabus Oceani aliquot nominatim afferuntur, a vetusto conditore cosmogoniae acceptae. Eae nymphae fontes denotant, nominibus a natura cuiusque ductis, in quorum explicatione immorari nihil attinet. Quaedam earum infra memoranda erunt.

Ex reliquis Titanibus Τιτανίον, Τέλλο, et Θεών, Ambulona, creasse dicuntur Ήλιον, Σελήνη, et Ήώ. Huius fabulae, quod ad Solem et Lunam attinet, facilis explicatio est. Solis nomen a volvendo ductum videtur, ut verba ἀελλα and ἔλλειν ostendunt: Lunae σέλας nomen fecit. Difficilior Ήώ videatur necesse est, quae si proprie Auroram significasset, mirum profecto foret, disiunctam ab Sole, et ut singularem eorumdem parentum filiam commemoratam esse. At enim a verbo ἄει derivatum nomen Aurora significabat: quam recte illis parentibus ortam perhiberi, apertum est. Nec dubitare finit ipsius progenies, Venti, et, de quibus infra, Memnon atque Ema-thion.

Κέρος, Seiugus, et Nerei filia Εὐρυθίη, Latipolla, genuerunt Ασηπίον, Παλλαντα, Πέρσην. Pertinent haec omnia ad sidera caelestia. Quae quod ex mari prodire viderentur, mater eorum magna vis maris esse dicta est; quod autem separata et peculiari corpore praedita inde exsurgerent, pater datus est Crius, vis separatrix. Nominata est ea progenies tribus nominibus: Ασηπίος, Πετιδούς, ex eadem origine, unde ασηπη and ασηπος, a verbo σηρίζοθαι; Πάλλας, Rotulus, quae est caeli circum axem suum rotatio; denique Πέρσης, Trameus, pariter ut Medusae intersector Perseus, a verbo περέσην, pro quo περγη usitatum, dictus: hic autem zodiacus est, quem sol permeat. Atque haec ita esse, uti dixi, ex iis clarum est, quae de horum progenie referuntur.

Astraeo quidem quum Ήώς, Aura, Ventos peperisse dicitur, tempestates ex siderum certorum ortu pendentes indicantur. Additi duo versus sunt apud Hesiodum:

τὸν δὲ μέτ' αἰσέρα τίκτεν Εωσφόρον Ηερύεια,
 αἴσέρα τε λαμπτεόντα, τὰ τ' οὐρανὸς ἐσφάρωται
 qui, ut ipse eorum nexus cum praecedentibus prodere videtur, aliam eamque recentiorem fabulam continent. Nam hic Ήώς Auroram significat, et propterea, quod ab oriente ori-sidera videntur, mater horum esse dicitur.

Sequitur maxima natu Oceanine, Στύξ, Rigua. Eius nomen a verbo σύει derivatum concretas frigore in oris borealibus aquas significare, satis arguere videtur distincta descriptio, quae est in Theogonia a v. 775. Ei maritus datus Πάλλας, Rotulus, quod caeli circum axem suum rotatione stat tempore bruma redit. Nati hogum sunt Ζῆλος, Aemulatio, quod alluentes glaciem undae ipsae quoque congelantur; Νίκη, Victoria, quod victae frigore stant; Κρότος, Robur, a duritate; Βή, Vis, quod frangunt, quidquid in eas illiditur, vel in quod ipsae ferruntur.

Dehinc Φοίβης, Februæ, et Κοῖου, Turbuli, coniugium explicatur. Hi, quoniam purgandis turbidis bruta et inertia ab agitabilibus et vitalibus segregantur, residente crassiore materia, supernatante autem subtiliore, Δητὼ dicuntur procreasse, Sopitiam, et Ασεγῆν, Actutam. Est autem Δητὼ a verbo λάσιν vocata, quod convolvendi congregandi significationem videatur habuisse, unde λάσι, λαός, λάθειν, et alia. Ασεγῆν autem eamdem habet originem, quam supra in Astræo indicavimus. Itaque Δητὼ quietem notat: unde κυανόπεπλος, et omnibus grata ac suavis dicitur; Ασεγῆν autem est, quam Graeci ἐνέγ-γειον appellant, cui rei Latini non habent satis aptum nomen.

Hanc dicitur in amplam domum suam Πέρσης, Trameus, deduxisse, ex eaque suscepisse Εκάτην, Volumniam, cuius nomen quid significet, ex verbis ἔκων et ἔκητι cognoscitur. Eius fabulae haec sententia est, ex agendi studio sollertiaque, addicentibus signis caelestibus, prosperum eventum prodire. Nam Hecate, cuius plurima Hesiodus officia enumerat, hoc nacta est munus, ut nihil, nisi ipsius permitti, recte geri possit. Quae cur triformis, cur triviorum praeses, cur cum Diana confusa, et quae sunt alia huiusmodi, non est huius loci accuratius exponere.

Sequuntur Πειζ, Fluonia, et Κρότος, Perficus. Nam perfici nihil potest, quod non fluxum et mutabile sit. His parentibus creata rerum naturae perfectio tribus filiabus, totidemque filiis significatur. Filiae vitae cultum eum, qui maxime necessarius est; filii spatia, quae sedem hominum terram circumdant, eorumque spatiorum proprias conditiones designant. Maxima natu est Ιση,

Vesta sive Stata mater, quæ domus est, et focus, omnis humani cultus principium. Hanc sequitur Δημήτης, Latinis a creando Ceres dicta, quae est victus, quem terra præbet: in quo proximus a certa sede domicilii cernitur, vitae excolenda gradus. Tertia est Ήχη, Populonia, quam Empedocles et caeteri veteres aeris regio nem inferiorem esse putarunt. At et nomen eius, quod ab ea radice est, unde αἴρεσιν et αἴρεσιν, seruatum in Germanico heer, et nomen Ήγαλλης, et coniugium cum Iove, et perpetuae cum eo rixae, et impeditus partus Latona, et profectio in extremas terrarum oras ad Tethyn Oceano reconciliandam, et certamen cum Diana, de quo quae recte dicta fuerant in Iliadis lib. XX. inepte reficta sunt in lib. XXI. non finunt dubitare, quin, qui tertius gradus est perficiendi cultus, communitatem debeamus vitae socialis intelligere. Ad eumque modum expli-canda erit fabula, quae in principio lib. XV. Iliadis narratur. Fratres harum sunt Άλης, Nelucus, quo nomine intelliguntur loca infra terram abdita; Ποσειδῶν, Neptunus, qui mare notat, quod terram cingit: ex quo Ταΐός, Tellurkein, Ποσειδῶν ille, sive Ποτειδῶν, de quo nomine mira comminiscuntur grammatici, a verbis πότις vel ποτὲ et εἰδοθας dictus; quod potilis videtur, quum tamē propter saltus dinem bibi nequeat. Ab eadem re ab Românis Neptunus, quasi Napotunus, vocatus. Ultimus est Ζεύς, Fervius, qui loca tenens ea, quae supra terram sunt, fervore animabilem notat, quod caelestis calor fer-vere omnia et vigore facit. Et quoniam ibidem etiam tempe-states concitantur, fulmen ei ac tonitru tributā. Quae, attexta hic est ab Hesiodi fabula de Saturno natos suos devorante, de ea infra dicetur.

Antea enim commemorandi sunt ultimi Titanum, Ιαπε-tός, Mersius, et Κλυμένη, Cluentia, filia Oceani. Hi quatuor genuere filios, Atlantem, Menoetium, Prometheum, Epime-theum. Non est obscurum, pertinere haec ad navigantes, qui in mare fama modo cognitum delati, confracta navi, ignoto in littore ejecti fuerint. Alius fortiter omnia mala sustinuit, qui est Ατλας, Sufferus, caelum sustinere dictus, quod in extremitate oris terram contingere cava caeli videtur; aliud, glo-

riosus antea, in undis periit, qui est Mevorios, Petiletus. Terra potitis, alius sollertia sua, quae ad vitam sustentandam opus essent, paravit, quem Πέρσηθεα, Prospicem, esse appareret; alium, inertem, nihil nisi navigationis susceptae poenituit: isque Ἐμπηθεὺς est, Poenitus. De Prometheus plures apud Hesiodum fabulae coniunctae videntur. Antiquissima haud dubie est, quae continetur v. 521 — 534. Ea quum caussam nullam memoret, quare virtus fuerit Prometheus, sed simpliciter liberatum eum ab Hercule, imperfecta, quae cor ei exedebat, aquila, dicat, nihil aliud innuit, quam curis propter interclusam spem redundi contabescerent, quum alii strenue superatis periculis ad ea loca appulissent, ex malis servatum esse. Recentior quae-dam fabula vineula poenam esse voluit. Ea rem sic narrabat. Naufragi in locum delati, qui non cunctos alere posset, partim perituri erant: id enim, opportune indicium praebente scholia, his verbis v. 535. indicatum est:

καὶ γὰρ ὅτι ἐκείνοντο θεοὶ θυτοὶ τὸν ἀνθρώπον
Μηχάνη,

i. e. quum de diuturnitate vivendi certarent: qui locus propter allegoricam deorum et hominum appellationem valde memorabilis est. Ibi igitur sollers iste quum defraudasset reliquos, cognito dolo, excolitus ab illis est a communione vitae, ignique ei interdictum. Itaque quum ipse ignis excitandi viam reperisset, qui fons habetur rerum ad vitam necessariarum, tamen poenas fraudis dedit uxoris improbo ingenio.

Revertimur ad Saturnios. Ut antea condendae rerum naturae, ita nunc perficiendae multa fuere irrita tentamenta. Itaque ut Vrani filios suos, simulatque natūlē essent, rursus abscondebat, ita Κέρον, sive Perficus, quos genuisset, deinceps devorasse dicitur. Sed qui novissimus natus est, Fervius, in quo, quod non mirum, semper mentem cum vi cuncta animantē confusam meminisse debemus, eum callide invento dolo Caelum ac Terra Λύκτον, Crepuscam, in Κέρτην, Temperiam, in montem Αἴγαιον, Salium, miserunt, ubi clam nutritus est. Id est, vis,

quae fervore omnia et vigescere facit, diu sub ambigua luce latuit in regione apte ad efflorescendum temperata, et quidem in monte subterraneis ignibus tremebundo. Tandem, quum adulta prorupisset, Perficus iste etiam reliquas vires, quas oculuerat, in lucem remittere coactus est: qui quem primum elecit, supposititum Fervium, eum genuinus Πυθοί, Puteolae, ιγνάλοις ὑπὸ Παρεγνησόο, in cavernis Aggeri, statuit: i. e. fervor non genuinus putrescit, alia desuper materia aggessa. Sed non ante penitus perfrui imperio potuit Fervius, quam plane de bellatis Titanibus, exutoque potestate sua Perfico. Quod bellum nihil aliud esse, quam ingentem terrae motum, quo denuo proruperant aegre domitae efferae vires naturae, apertissimum est. Eo in conflictu quod territae etiam immanissimae belluae ex latebris suis in conspectum prodire visae, Centimanos Fervius ad auxilium vocasse dicitur. Ita superati Titanes, Centimanique iis custodes additi: sed Βεράρη. Viriato, coniux data Κυμοπόλεια, Vndicolon. Id est, belluae se in latebras suas repperunt, vastissimisque earum mare datum est habitandum. Tunc Τυφωεύς. Vaporinus, ex Terra natus, restincti incendii vapore adhuc superante.

Iuppiter igitur, sive Fervius, potitus regno, primo uxorem sibi iunxit Μῆτην. Consem, quae non solum filiam ex eo concepit, sed conceptura erat etiam filium, magna exsuperaturum ferocia. Id est, animi sollertia, semel fervore corruptam, artibus inventis, nihil non fuisse tentaturam. Vnde eam gravidam ventre suo condidit, Fervius.

Inde uxorem duxit Θέριν, Statinam, ex qua Ωρας, Tutilinas, suscepit, Εὐνομίην, Δικην, Εἰρήνην, Aequitatem, Iustitiam, Pacem. Eas a tuendo dictas, Hesiodus ipse testatur. Deinde Μοίρας, Tribunas, Κλωθώ, Λάχεσιν, Αργοπον, Neiam, Sortiam, Nevortam. Quarum rerum ratio aperta.

Porro Εὔσυνέμη, Latipasca, filia Oceani; Χάριτας, Gratias ei peperit, Αγλαην, Εύφροσύνην, Θαλίην, Splenduam, Hilariam, Floram: quo significatur navigantium commerciis parta opulentia.

Deinde ex Cerere Φερτοφόνη, Semoniam, suscepit, quae semen significat, quod segeti affert interitum. Id quoniam terra conditur, Αἴσης, Nelucus, rapuisse dicitur Semoniam, volente Fervio. Quam mater quum requereret, intercedente patre pacti sunt, ut tertiam partem anni Semionia infra terram esset, reliquas duas autem apud superos: quam fabulam, cuius sensus perspicuus est, non intellectam multis enarrat is, qui Homericum hymnum in Cererem fecit. Ab Latinis Proserpina dicta, quod proserpit e terra semen.

Ex Moneta, quae Graecis Μηνοσύνη est, inventrices artium Μούσας genuit Fervius, quas Romani a carminando Camenas vocarunt: in qua fabula nihil obscuri est.

Δητῷ autem, Sopitia, geminos ei peperit, Ἀπόλλωνα, Necinum, in insula Δήλῳ, Manifesta, et Ἀρτεμιν, Sospitam, in Οἰτυγῇ, Emerisia. Nam quiescente fervore vitali mors consequitur. Ea vero biformis est, mortali natura manifesto per-eunte, incolumi autem emergente immortali. Itaque Apollo et Diana mortem significant: unde arcus et sagittae, et dea venatrix. De Apolline luculentissimum testimonium exstat Iliad. XXIV. 758. seq. de ambobus Odyss. XV. 409. seqq. Morientes autem quoniam futura praesagire creduntur, Necinus deus est fatidicus: inde ei poesis et ars musica, comitesque Musae ipsae datae. Idem postea Παιάν, Icilius, vocatus, quod, quos feriret, vitae molestiis liberarentur. Sospita vero mulieres dicta interimere, detorta aliquantum vera fabulae interpretatione, fortasse quod mulieres non, ut viri saepe, ex vulneribus, sed incolumi plerumque corpore moriuntur. Eadem aliquanto post etiam puerperio praefecta, ut matrum prolisque incolumitati prospiceret.

Postremo stabili connubio Fervius sibi iunxit Ἡηγη, Populoniam, ex qua Ἡβῃ, Iuventa, Ἄγης, qui Romanis Mavors, fortasse a malo avertendo, et Εἰλεΐθυια, Venilia, quam Romani Lucinam dicunt, nati. Nam fervor vitalis, isque mente et consilio praeditus, et ut adolescent homines, facit, et ut pleno labore fruantur, et ut genus suum rite propagent.

Postea Fervius, quum Μῆτη, Consam, quae gravida ex ipso fuerat, devoravisset, ex capite suo enixus est Αθήνη, Nelactam, dictam ab eo, quod lacte non esset nutrita. Nam quae per hanc significantur artes domesticae, forenses, bellicae, virilis ingenii sollertia repertae, et fere virorum propriae sunt. Quae quod non sine multa cogitatione inventae, Τειτογένεια illa, Tortigena, dicitur. Similiter etiam Ἡηγη, Populonia, sine marito partum edidit, qui vocatus est Ἡφαιστος, a verbis ἀπτειν et ἄτειν, quod ignem ex occulto excitet. Is autem artes ignobiliores et sordidiores indicat: unde Latinis a vulgo Vulcanus dictus. Hinc claudus, proptereaque a Fervio e caelo deiectus in Ληφτον, Capuum, a concepto igne appellatam.

Neptunus autem ex Αμφιτρίτῃ, Amfractua, fuscipit Τείτων, Tortunum, quae res plana est. Mavorti vero Spumicita, sive Αφροδίτῃ, Φόβον et Δεῖμον, Terrorem et Timorem, postea Ἀγρονίαν, Faventiam, parit; quo non obscurum est, violentos cum captivis mulieribus concubitus, et consequitam inde reconciliationem designari.

Porro Fervio Μαῆη. Quaesia, Atlantis, i. e. Sufferi filia, Ἐρμῆη, Mercurium, peperit, quod quaerendis multo labore opibus commercia iuncta. Κάδμος autem et Ἀγρονία, i. e. Instruus et Faventia, praeter alias filiam habuere Σεμέληη, Solsequam, quae a verbis σέβειν et ἔλη appellata, vitem significat. Ex ea Fervius filium genuit Διώνυσον, Torculum, cuius nomen a praepositione διὰ et radice ea, unde ὄνυξ, ductum videtur; unde apud Homerum semper longam esse secundam syllabam Herodianus apud Etymol. p. 280, 6. observat, spurium, ut videtur, iudicans versum in Odyss. XI. 325. Νύεη autem nutandi, et deorsum vergendi significationem habuit, unde νύειν factum. Indidem νύσσειν, proprie deorsum feriendo pulsare, et ὄνυξ, unguila. Hinc Διώνυσος proprie exculcatum significat.

Vulcano uxor data una ex Gratiis, Ἀγλαῆη, Splendua; Toreulo Ἀριδάνη, Roborina, filia Μήνως, Manti, qui a verbo μήνειν dictus: roborantur enim vina vetustate; Ἡεκλεῖ, Poplicluto, Αμφιρύωνος et Αλκυονίης, i. e. Amitri et Opitulanae, sed simul etiam Fervii filio, Iuventa, de qua re supra dictum. Nam ille

eo inter homines inclauit, quod quoquo multum migrando venisset, nullam opitulandi opportunitatem praetermittebat.

Soli deinde Oceani filia Περσηνής, Tramea, Κίρκην et Αἴγιτην. Circam et Tellurinum peperit: quo significatur in longinquō ad occidentem mari duplex navigatio, una frusta in orbem facta, altera ad regionem frugiferam delata. Hinc Tellurinus ex Oceani filia Ιδυία, Gnara, Μήδειαν, Prudentinam, suscepisse dicitur, quod, via cognita, rerum utilium scientiam edidisset regionibus petere didicerunt.

Ceres cur ex Ιασίω, Spontano, Πλοῦτον, sive Ditem, in fertilibus agris Κερύτης, Temperiae, peperisse dicatur, in promptu est.

Cadmi et Harmoniae progeniem non eo, quo conveniebat ordine, Hesiodus aliique enumerant. Nam Instruo, i. e. cultori vineae, ex Faventia, quae hic ad annum coquendo vino aptum translata est, prima nascitur Σεμέλη, Solsequa, quae est vitis; secunda Αγανή, Strenua, quae uarum legendarum exprimendarumque laborem significat; tertia Ινώ, Vacuna, quae est hauriendi diffundendique vini opera; quarta Αὐτούρη, Sollertina, quae est condendi vini scientia: unde Αγισταῖς, Optumanus, ei maritus contigit; quintus denique filius Πολύδωρος, Multifrux. Hi nati εὐσεΦάνω ἐπὶ Θύβῃ florente in Cultua, quo nomine vinetum designatur, dictum ita a verbo Θύπειν, unde Θάμβος, Θάμτειν, Θωπεύειν.

Ḩώς autem, Aura, ex Τιθώνῳ, Nutrio, quem rapuit, quo humores ex terra enascentes intelligi appetet, Μέρυνων et Ήμαθίων peperit, i. e. Manturnum, regem Aethiopum, quod in calidioribus terrarum oris diurnae regnant pluviae; et Eluum, imbre, qui rapida vi aquarum auferens omnia, solum arena obducit. Eadem ex Κεφάλῳ, Capitone, Φαέθοντα, Fulsum, peperit. Is vero auroram significat, quod radii ex capite orituri solis in auris rubescunt: quorum fulgore quod interdum omnia conflagrare videntur, fabula orta est de curru solis impetrare recto. Idem Veneris templo custos additus, quod aurora amplexus amantium dirimit.

Aeetae sive Tellurini filiam Medeam, i. e. Prudentinam, Ιάσων, Meditrinus, filius Αἴστον, Opportunii, a Πελίᾳ, Pel-

lone, electus ex Ιωλκῷ, Sulcimeda, domum duxit, filiumque ex ea suscepit Μῆδειον, Prudentinum, quem educavit Χείρων Φιληρόης, Manicatus, filius Librinae. Apertum est, indicari opportune repertum, qui frugum penuria stimulante ab longinquis regionibus auxilium petitum iret: unde tauros aratō iungere doctus, omnique instructus agri colendi scientia, domum reversus est, arte, quam didicerat, sterilitati agrorum remedium allaturus: quam artem acceperunt inde posteri eius, educati in faciendo opere rustico.

Brevius iusto Phoci et Achillis origo ab Hesiodo commemorata est. Ea haec est. Αἴγινα, Quassatia, ex Fervio, omnis confilii auctore, peperit Αἴανον, Malivortum, a vocibus αἴ et ἄκος vocatum, cuius ex Ψαμάθῃ Arenia, filius fuit Φῶκος, Igninus. Eidem duos alios peperit Εὐδηῆς, Ruinia, Πηλέα, Pulsantium, et Τελαμῶνα, Sustentanum. Alteri horum, Θέτις, Traquillina, coniux; alteri Περίβοια sive Ερίβοια, Bubulina: quarum ex illa Αχιλλεύς, Molestinus, ex hac Αἴας, Vulturnus nati. Fabulae hoc argumentum est. Insula terrae motu vastata superstites confilium de effugienda pernicie inire coegit. Alii igne in littore accenso signum dedere navigantibus; alii ex reliquiis ruinarum navem construxerunt, quam in altum delati remis in tranquillo mari vix mūltō labore promoverunt; velis autem ex corio bubulo expansis, commodius navigarunt. Nomen τελαμών, a verbo τέλλων ductum, quod propriam habet tollendi significationem, quodlibet sustentaculum notat: unde hic de malo, in quo vela suspensa sunt, intelligendum. Sic Latini telamones, quos Graeci ἄτλαντας, vocabant. Αἴας autem velificatio est, a motu et agitatione, unde αἴστας est, nomine imposito. Plura, quae hanc fabulae interpretationem confirmant, Phoci progenies suppeditare poterit.

Αγχίση, Parilino, ex Venere natus Αἰγαλεῖς, Morigeranus, in monte Ιδῃ Γναρί, māculae Veneris inter consicos libidinem indicans. Nam ne quis connubium cum parilis sortis coniuge laudiari pūtet, et Veneris commemoratio obstat, et quae de poena Anchisae narrantur, de quibus videndus Meziriacus ad Ovid. Her. vol. II. p. 143 seqq.

Denique Ὁδοσσεύς, Indignatus, ex Circa, quae est diuturna in mari iactatio, Ἀργεῖον et Λαρῆον, Agrestem et Streperum, genuit, qui Τυρσηνός, Turrinis, imperitarunt. Haec appetat in mores nautarum, diuturna navigatione efferatorum, dicti esse, qui a navibus, in quibus degunt, Τυρσηνοὶ vocati. Nomen Λαρῆος cum verbo λαρύσσειν cognatum videtur. Eadem Indignato Καλυψώ, Occulina, Atlantis filia, Ναυσίνοον et Ναυσίθοον peperit, Nauparum et Naucitum, quod est, occultos thesauros navibus fabricandis opportunatatem fecisse.

Hactenus Hesiodus. Quae percensenda duxi omnia, quae si quaedam tantum attigissem, ea viderer elegisse, quae casu huiusmodi interpretationem admitterent. Nunc postquam eamdem omnium esse conditionem ostendi, non puto mihi verendum esse, ne quis ludere me voluisse opinetur. Res ipsa vero ludet mythologos, historicos, geographos, quum operose firmata commentorum suorum fundamenta sic spiritu difflari videbunt. Sed in litteris saepe etiam diruendo aliquid condas: eritque, quum haec interpretandi ratio, cuius nunc specimen dedi, omnem veterum populorum mythologiam illustrabit, licet nec dei, nec numinis, nec religionis ullum in ea vestigium reperiatur. Caeterum quam infinita hic bonis observationibus materia parata sit, non latebit vel rem ipsam, vel quae a nobis dicta sunt, considerantibus.

FRIDERICVS THEOPHILVS SIMON

LIPSIÆ AD AEDEM D. NICOLAI SUBDIACONVS.

Natus est a. s. f. LXXIV. Radisi, vico circuli olim Electoralis, nunc Vitebergici, in Ducatu Saxoniae, patre Christiano Godofredo, matre Christiana Sophia, ex gente Steudtigruim, quae decimo anno post cum sex liberis suis obitum magistri luxit. Unde scholae Delitzschensi commissus, quum ibi annum commoratus esset, matre secundis nuptiis cum Car. Guilielmo Schulzio iuncta, domum rediit, privataque institutione praeceptoris dome-

stici usus est. Inde traditus scholae Portensi, praeceptoribus, qui tum erant, operam dedit, Barthio, Hildebrando, Schmiederio, Schmidtio, superstiti adhuc, mathematico, cui in primis et ad litteras et ad vitam recte instituendam plurimum se debere ait. Sexennio ibi exacto, per tres annos in Academia Halensi, ac deinde per duos in Vitebergensi studia theologiae sectatus est, ubi Nitzschium, virum sacrarum litterarum scientia celeberimum, et Krugium, nunc nostrum collegam, soli natalis communitate, consanguinitate, disciplina scholastica, ortaque inde amicitia sibi coniunctissimum, doctores habuit. Viteberga domum reversus, fratres fororesque matri ex altero matrimonio natos per unum et dimidiatum annum annum instituit. Inde Merseburgum ad liberos viri perillustris a Koenneritz regendos vocatus, quum ei officio per quinque annos praefuisset, a. h. s. IV. diaconus factus est ad aedem eius urbis cathedralem: nuper autem ab Ampliss. Senatu Lipsiensi ei munus subdiaconi ad aedem D. Nicolai nostra in urbe est demandatum.

IOANNES THEOPHILVS MAASS

GYMNASII RASTENBURGENSIS IN BORVSSIA PRIMVS
HYPODIDASCALVS ET PRORECTOR.

Natus Colbergae a. s. f. XCII. ubi pater eius inspector est Orphanotrophei, parentum adhuc superstitione eximiam in educando curam praedicat. A patre primis rudimentis exercitatus, receptus in Lyceum Colbergense, quum omnibus in scholis primum locum obtinuisse, hortatu Baukii, directoris, litterarum studiis se dedidit. Hunc virum, quem facta liberalissime bibliothecae ipsius utendae copia, institutione gratuita, expensis etiam in scholas mathematicas pro se solutis adiutorem sibi gratissimo semper animo prosequendum extitisse dicit, in philologia, rhetorica, historia, philosophiae potissimum, et mathesi ducem habuit. Examine ob militiam detrectandam superato, quum perrexisset in studiis suis, optimis testimoniosis instructus, stipendiisque quibusdam sublevatus, ante hos VII. annos in Academiam Regio-

montanum se contulit. Ibi Poerschkium Herbartumque in philosophia, Vaterum, Waldium, Krausum, aliosque in theologia, Hüllmanum in historia et prudentia civili, Erfurdtium, Poerschkium, Delbrückium in philologia magistros habuit, atque examinibus et disputationibus probatus, candidatus renunciatus est muneris concionatorii. In bibliotheca regia officio librorum lectoribus exhibendorum aliquamdiu funetus, Herbartique seminario paedagogico adscriptus, Vateri denique filiis alumnisque instituendis per biennium praefectus, unde multa ei opportunitas fuit huius viri et bibliotheca et sermonibus fruendi, munus adiit primi Hypodidascalii et Prorectoris in gymnasio Rastenburgensi.

GVILIELMVS ADOLPHVS SCHICKEDANZ

R. MIN. CAND. ORPHANOTROPHEI KORNMESSERII BEROL.
PRAECEPTOR. ECCLES. CATHEDR. BEROL. CATECHETA.

Hic ita scribit: natus sum Ao. salutis M D C C L X X X X I I . d. V. Cal. Iul. patre Abrahamo Philippo Godofredo, Dessaviensi, Theologiae Doctore et Professore, Gymnasi Anhaltinorum academicii rectore quondam perpetuo, matre Augusta, Pomerana, ex gente Grützmacheria. Pater paeceptoribus scholae Ioanneae, quam inspicere eum oportebat, primo me instruendum tradidit; paulo post autem, cum haec Ioannea et schola ad aedem D. Bartholomaei in unum novum gymnasium redactae essent, inter primos gymnasii commilitones et ego numeratus sum. Magistris ordinariis et extraordinariis illius usus sum; prae ceteris vero mo patris, Doerflingii, Stenzelii, Richteri et Schimageri institutioni multum debere, confiteri fas est. Anno h. s. X. ad studia s. s. Theologiae colenda, Vitebergam profectus sum, Rectore Academiae t. t. Georgio Ernesto Kletten. Lectiones frequentavi Schottii exegeticas et homileticas; Heubneri apologeticas et dogmaticas, nec non examinatoria ab ipso instituta; Nitschii, doctrinam religionis Christianae moralem; Raabii, historiam ecclesiasticam tradentium. Denique, ut de aliis taceam, ad Poelitzii scholas histori-

cas et philosophicas accessi, et Seminarii reg. academicii sodalis factus, institutione huius viri celeberrimi per tres annos gavisus sum. Triennio exeunte, studiis academicis absolutis, a. XIII. in patriam reversus, mense Aug. eiusdem anni Berolinum petii, munere functurus paeceptoris Orphanotrophei Kornmesserii et Catechetae Ecclesiae Reg. Cathedralis: quod munus adii Cal. Septbr. a. XIII. examine scholastico feliciter superato. Semestri aetivo a. XIV. in patria, coram consistorio Dessaviensi, ex decreto Ducis Serenissimi, pro licentia concionandi examinatus et inter candidatos Rev. Ministerii receptus sum: quo factum, ut eadem iura et privilegia, a Regimine Marchiae Brandenburgicae, mense Novembr. eiusdem anni mihi tribuerentur.

ERNESTVS HENRICVS WEBER

MED. ET CHIR. D. VITEBERGICVS.

Natus sum Vitebergae a. s. s. XCV. die XXIV. Iunii Michaelis Webero, Theologiae ibi D. et Professore, et Christiana Friderica Wilhelmina, ex gente Lippoldia, quibus quantum debeam, verbis exprimere nequeo. Praeceptis religionis, omnisque eruditio- nis initii a patre imbutus, anno h. s. VII. in alumnorum Mis- nensium numerum recipi, et meritissimorum paeceptorum disciplina per quinque fere annos uti mihi contigit. Inde in urbem patriam reversus, ab ipso patre tum rectore civibus academicis adscriptus sum. Hic, cum animus potissimum ad philosophiae et artis medicae studium ferretur, viorum celeberrimorum, Klittenii, Seileri, Schregeri, Langguthii, Andrei, Klotzschii, Stein- haeuseri, Poelitii et Nitschli iunioris scholas frequentavi, eorumque institutione diutius usus fuisse, nisi tristissima belli calamitas doctores ac discentes antiquissima hac Musarum sede expulisset. Migravi igitur, studia mea prosecuturus, Lipsiam, ibique non solum doctrinas medicinae theoreticas iterum iterumque retractavi, sed animum ad practicas etiam adieci, ita ut professorum celeberrimorum, Platneri, Kühnii, Rosenmüllerii, Gil-

herti, Poelitii, Ioergii et Haasii paelectionibus assidue interfuerim. A.h.s.XV. d. XVI. m. Maii, gratiosus Medicorum Vitebergensium ordo, examine superato, me summis in Medicina atque Chirurgia honoribus ornavit. Ita gratias ago maximas viris meritissimis, quorum vel scholis institutus, vel consuetudine domestica excultus sum, meque iis commendatum cupio.

IOANNES FRIDERICVS LOESCH

NOTAR. PVBL. SAX. ET CAVSAR. PATRONVS DRESD.

Natus Dresenae d. XVII. mens. April. anno saeculi superioris LXXV., patre Ioanne Georgio, cive Dresenensi, matre Charlotte Friderica, e gente Meieria, quam quidem, sinistra tibia infasto quodam casu ipsi bis fracta, morte erectam lugeo. Puerum me parentes dilectissimi domesticis praceptoribus tradiderunt instituendum; postea vero publicorum scholae patriae, quae ab aede Crucis sacra nomen gerit, magistrorum, b. Otipii nimirum atque in primis clarissimi b. Beutleri, doctrina uti contigit. Literis igitur, quibus istiusmodi aetas ad altiora solet praeparari, imbutus Vitebergam me contuli anno prioris saeculi XCVI. ibique ab Exper. b. Titio sen., fasces Academiae tunc temporis tenente, civibus illis adscriptus sum. Praelectionibus philosophicis et historicis Virorum illustr. Schroeckhii, Klotzschii, Krugii, Schmidtii, Antonii, Henrici et al. cum per aliquod tempus studiosissime interfuissem, in jurisprudentiae studia postea omnem impendi operam. Quod quidem istarum literarum curriculum feliciter emensus anno huius saeculi primo sub praesidio Ill. Pfotenhaueri de variis iuris controversi thesibus publice disputatum prodii; denique examen, quod vocant, pro praxi et notariatu, faustis subii superaque auspiciis. Tandem speciminibus, quae causarum Patroni munus petenti incumbunt, anno nostri saeculi tertio elaboratis ac singulari assensu comprobatis, nec non venia causas in foro agendi impetrata, iura partium in iudiciis defendere

placuit. Verum cum ab illis studiis philosophicis et literis graecis latinisque nullo unquam tempore animum abduci passus sim, reliquam vitam, quantum ob publica negotia, summo numine favente, fieri potest, Musis dare constitui.

GEORGIVS FRIDERICVS KVMMER

MEDIC. BACCALAVREVS.

Natus est Lipsiae a. s. f. LXXXIX. Idibus Iuliis, patre Paulo Gotthelf, librario, viro egregio, quo adhuc superstite gaudet; mater, Maria Regina, e gente Cichoria, novem fere abhinc annis praematura morte ei erepta est. Anno aetatis XII., domestica ante disciplina usus, scholam Thomanam adiit, ubi Weigelii, Friedelii, Reichenbachii, Rostii praceptoribus formatus est, simulque Weigelii, quo iam antea praceptorre usus erat, privata institutione frui perrexit. Anno h. s. VIII., a Ludwigo huius Academiae civibus adscriptus, priusquam ipsis academicis studiis incumberet, quum ars salutaris prae caeteris ei arrideret, apud affinem, pharmacopolam Colditiensem peritissimum, rei pharmaceuticae principiis addiscendis operam dedit. Vnde anno exacto redux in philosophiae doctrinis praceptors elegit Krugium, Platnerum, Weissium, in philologicis Beckium et me, in historicis Wielandium, in mathematicis b. Prassium et Mollweidium, in physicis Weissium et Gilbertum, in historia naturali, botanica, et mineralogia Schwaegrichenium. In anatomice, nec non in cadaveribus dissecandis Rosenmuellerum ducem habuit, in osteologia comparata b. Gehlerum, in chemia Eschenbachium, in physiologia Burdachium, Platnerum et Kuehnium. Interfuit etiam Rosenmuelleri et Platneri scholis examinatoris, anatomicas et physiologicas. Historiam specierum generis humani, anatomiam pathologicam, et pathologiam generalem specialeque eum docuit Ludwigi, materiam medicam Haasius, pharmaciam Eschenbachius, diaeteticen psychicam et psychiatricam Heinrothus. A. h. s. XII. examine ad primum artis medicae gradum

obtinendum superato, practicis potissimum artis medicae doctrinis incubuit, in therapia speciali praceptores sequutus Clarum, Haasium et b. Braunum. Per annum integrum frequentavit institutum clinicum, Claro et b. Gehlero ducibus. Artis obstetriciae pracepta Ioergius eum docuit, cuius etiam institutione practica in instituto Trieriano usus est. Politiam medicam ei tradidit Kuehnus, medicinam forensem Platnerus. Apud Eschenbachium exercitationibus disputandi de rebus medicis interfuit. His omnibus animum significat gratissimum. Tempore eo, quo atrox typhus in urbe nostra grassabatur, in nosocomio militari medici munus suscepit; mox ipse morbo corruptus, sed per eximiam diligentiam b. Braunii et Clari restitutus. Ante tres annos Knoblauchius, cui se obstrictissimum fatetur, copiam ei fecit, sub ipsius moderamine aegrotos visendi atque curandi, quo beneficio etiamnum fruitur.

CAROLVS FRIDERICVS GOTTLLOB STEINHAEVSER

Natus sum Eisenbergae a. f. f. XC. parentibus Ioanne Michaële, panni cribriarii opifice, et Rosina Maria, e gente Leilichia. Primum Lycei Eisenbergensis classes inferiores frequentavi, sed postea anno aetatis XLII. Rostios, duos fratres praceptores nactus sum, qui eo me perduxerunt, ut a Brendelio rectore in primam classem reciperer. Huius et Voigttii, correctoris, disciplina per quattuor annos usus, idoneus existimabar, qui Academiam frequentarem. Sed optanti mihi, ut celebrioris scholae institutione ante frui liceret, contigit, ut inter scholae Thomanae alumnos reciperer: cuius scholae praceptoribus omnibus plurimum me debere gratus profiteor, maxime tamen Rostio, cuius insignem benevolentiam semper expertus sum. Anno XII. h. f. Tzschirnero Rectore inter cives academicos relatus, in philosophia Krugium et Wendtium, in mathematica et astronomia Mollweidium, in historia et archaeologia Beckium, in theologia Tittmannum et Tzschirnerum praceptores habui. Sed cum pristinus antiquarum litterarum amor nunquam me destituisset, has praec-

cipue colendas duxi, inque iis operam dedi Rostio, Beckio, et maxime Hermanno, e cuius publicis privatisque lectionibus uberrimum fructum percepi, ut vel hanc ob causam plurimum ei debeam. Verum prosperior etiam fortuna mihi contigit. Nam non modo societatis Graecae sodalibus me adscripsit, atque a manu sibi esse voluit, sed tanta praeterea benevolentiae et favoris documenta mihi praebuit, ut nesciam utrum doctrinam, an humilitatem eius magis admirer. Idem etiam in consequendis summis philosophiae honoribus stipendio me adiuvit. Ut vero in rei familiaris tenuitate studia academica continuare possem, liberalitate Potentissimi Regis Saxoniae, Amplissimi Senatus Lipsiensis, Senatus Academicus, Stieglitzii, V. Ill., et in primis Enkii V. S. R. adiutus sum, usumque convictori b. Iaspisio et Tzschirnero debui. Ex philologis patronum colo Seidlerum, nunc Halae professorem celeberrimum. Caeterum, cum muneri scholastico administrando idoneum me reddere studerem, valde honorificum mihi fuit Rostii iudicium, qui in schola Thomana parte lectionum unius e praceptoribus diutius aegrotantis mihi commissa, exoptatissimam fecit comparanda docendi facultatis opportunitatem. Summam denique felicitatem numero, quod nuper Siegmannus, ciuitatis Lipsiensis Consul meritissimus, filios suos Graecis Latinisque litteris instituendos mihi tradere voluit: cuius viri gravissimo patrocinio nihil est, quod mihi potuerit praestantius contingere.

HENRICVS LVDOVICVS IANI

MEDICINAE BACCALAVREVS.

Natus sum Gerae, a. f. f. XCIV, patre Christiano Henrico, Med. D., matre Henrietta, e gente Hemlebia. Prima institutione domi formatus anno aetatis XI. magistris illustris Ruthenei traditus sum. Exacto septennio, in quo Schützii, Reinii, et b. Hauptmanni plurima debo praceptoribus, anno h. f. XII. ad medicam artem discendam in Litterarum Vniversitatem Lipsensem me contuli. Quo consilio cum in philosophia Platnerum et Krugium audivissem, in

mathesi Mollweidium, in physice Gilbertum, in chemice eundem atque Eschenbachium, in botanice Schwaegrichenium, et in anatoma Rosenmüllerum, summo illorum temporum patriae discrimine factum est, ut relicto litterarum studio arma susciperem. Totus inter ea defluxit annus. Redux autem in eadem universitate partim repetendis, quas iam colueram, partim addiscendis novis doctrinae medicae partibus operam dedi. Physiogiam igitur Platnerio et Kühnio audivi docentibus, therapiam generalem Ludwigio, pathologiam et therapiam speciales, necnon pharmacologiam Haffio, clinicam denique institutionem Claro, Kuhlio et Wendlero tradentibus. Sub finem anni h. s. XV. examine tentatus a gratiose Medicorum Ordine Lipiensi, medicinae baccalaureus factus sum.

CHRISTIANVS GVILIELMVS HAVN

Parentes colo superstites, Ioannem Theodorum Guilielmum, qui artem exercet limbularii, mercaturamque facit, et Ioannam Sophiam, e gente Fischeria, quibus natus sum Longosalissae d. VI. Apr. a. f. s. XCIII. Hi postquam puero litterarum cupid Lyceum urbis patriae et Meineri, conrectoris, privatas scholas frequentandi copiam fecerant, patrui, sacra apud Kirchheilengenses administrantis, consiliis beneficiisque adiutum a. h. s. IX. scholae Portensi commiserunt. Ibi per integrum lustrum clarissimorum magistrorum usus disciplina, in primis singularem Gernhardi benevolentiam non habeo quo satis praedicem, nec non Langii in litterarum et artium elegantia, et Schmidtii privatam in mathesi institutionem: cui viro quod his ipsis diebus deus adeptorum ante hos L. annos philosophiae honorum memoriam vivendo attingere dedit, id mihi eosdem nunc honores consequenti insignem addit laetitiae cumulum. Scholae Portensi cum valedixisse, a Senatu Longosalissensi beneficio ornatus, a. h. s. XIV. in hanc Academiam a Tittmanno receptus sum. Hic Regis Augustissimi clementia stipendii et convictus publici beneficiis sustentatus, scholas adii philosophicas Platneri et Krugii, historicas Wielandii, philologicas Hermanni et Beckii. Huic, cuius

favorem plurimi facio, libros N. T. Winzero autem et Rosenmüller, cuius b. patrem quoque audire mihi contigit, V. T. scripta interpretantibus assedi. Historiam ecclesiasticam, theologiam dogmaticam et homileticam Tzschirnerus, ethicam Keilius, symbolicam Tittmannus me docuerunt. Aestheticis Wendtii, paedagogicis scholis Lindneri interfui. Gratus praedico Hauboldi et Gaudlitii favorem et munificentium, a quibus hos honores petiturus stipendio Riviniano adiutus sum.

FRANCISCVS LEOPOLDVS RANCKE REGII SEMIN. PHIOL. SODALIS

Ex privata institutione patris mei, Gottlobi Israëlis Ranckii, iustitiarii, cui ex Friderica Wilhelmina Lehmingke natus sum Wiesbaden in Thuringia d. XXI. Decbr. cccclxxxv, Dondorpii me liberalia exceperunt Kraftii in me studia. Deinde Portae traditus sum. Vbi ut omnes magistri optime de me meruerunt, ita grata patris auctoritate Iohnius, perfecti praeceptoris dignitate Langius, miti amici consuetudine Wickius me ad severiora antiquitatis studia formaverunt. Atque haec quidem studia Lipsia, quam a. o. h. s. XIV. vidi, auxit et nutritivit. Utiles mihi fuerunt philosophorum, Platneri, Wendtii, Krugii, utiles etiam scholae theologorum: maxima debo tum Hermanno, tum Schneideri, nunc apud Vratislavensis Professoris, amicitiae. Accesserunt vero summa Beckii beneficia: qui me et convictorio ulti admisit, et in Regium seminarium philolog. receptum eruditio lumine et prudentia iudicii magnopere adiuvit. Restat, ut publice gratias agam L. B. a Werthern, Cancellario Regio, qui me et olim Dondorpium admisit, et stipendio avorum suorum etiamnum adiuvat, alteri Illustri Liebeskindio, Schönewerdensem in Thuringia domino, patris mei patrono, qui mihi quoque gratuita munificentia large patrocinari voluit. Stipendio Henriciano Ordo Philosophorum me ornavit.

CAROLVS ERNESTVS MAXIMILIANVS EINERT.

Patria huic est Lommatium; parentes Carolus Theophilus, qui primum isto in oppido, deinde Camentiae cantor fuit; mater Christiana Sophia, e gente Hessa. Natum a. s. f. XCIV. pater tum Wurzenae organoedi munere fungens, quum mater diem obiisset, omni industria educandum curavit. Ita in scholam Grimmanam receptus, per sex annos Sturzii, Hochmuthii, Graessii, Hartmannii, Toepferi disciplina usus est. A. h. f. XIV. Tittmanno rectore civibus nostris adscriptus, patrocinium Enkii et Scharfii praedicat, magistris autem in philosophia Krugio et Clodio, in historia Wielandio, h. t. Rect. Magnif., et Poelitzio, in philologia Beckio et me, in theologicis doctrinis Keilio, Tittmanno, Tzschirnero, Rosenmüller, Beckio, huic etiam in historia ecclesiastica usum se esse dicit. Enkius societati ad sacrarum concionum facultatem parandam institutae eum adscripsit. Stipendiis ei frui contigit Regio, deinde alio ab senatu Wurzenensi, alio a diacono illius urbis ipsi tributo, cui nuper accessit Grossianum, Scharfii et Richteri beneficio.

CAROLVS GVSTAVVS KVECHLER.

Poedelistae prope Friburgum XII. Cal. sept. a. s. f. XCVI. natus hic est Carolo Christiano, tum pagi illius, nunc Goseccae, sacerdoti, ex Henrietta Guilielma, gentis Heuschkeliae: quam morte sibi ante hos XIII. annos ereptam tanto acerbius doluit, quo magis haec femina ut pietate erga deum, ita amore erga suos, humanitate et indefesso adiuvandi studio erga omnes eminuerat. Pater eum, ipse Graecae Latinaeque linguae, omnisque antiquitatis scientia bene instructus, eo suapte institutione perduxit, ut recte videretur scholas Academicas aditurus esse. Itaque a. h. f. XIV. a Wielandio civibus nostris adscriptus, in philosophicis et historicis doctrinis Beckio et mihi, in philosophicis Krugio et

Wendtio, in theologicis Keilio, Tittmanno, Tzschirnero, Winzero, Beckio operam dedit: quibus omnibus, et maxime Beckio se obstrictissimum esse significat. Stipendio adiutus est Regio. Ludwigio gratias agit, a quo ad consequendos honores nostros stipendio auctus est.

FERDINANDVS KOPISCH.

Natus sum Vratislaviae MDCCXCIV. patre Christiano Guilielmo, Varsovieni, olim supremae Provinciae iudicii calculatore, matre Carolina Augusta, e gente Imbertia, Vratislaviae florente. Prima elementa literarum privati me docuerunt magistri; anno MDCCCII autem, in Gymnasio St. Elisabethae Vratisl. Scheiblio, et deinde Etzlero rectoribus, lectiones publicas eorum, nec non Schummelii, prorectoris, et Nikelii, Prof. prim. frequentavi. Huic Gymnasio die XVIII. Mart. a. h. f. XII. solemniter valedixi; eodemque anno die III. Aprilis, Berendsius, tunc Academiae Viadrinae Vratislavensis Rector Magnificus, me studiosorum numero adscripsit. Ibi in philosophia Thilonem et Kaysslerum, in mathesi Raakium et Brandesium, in Astronomia Iungnitzium, in chemia Linkium et Fischerum, in physica et historia naturali Steffenium, Heydium et Gravenhorstium, in philologia Schneiderum et Heindorfium audi vi. A. h. f. XIII. iuventute Borussica ad liberandam patriam convocata agmini tormentario nomen dedi. Hoc in bello proeliis ad Luzenam, Budissam et Haynoviam duce Illustrissimo Principe Blüchero, item ad Dresdam, Kullmam, in vicinia Teplizii, et caeteris in hac valle commissis, nec non memorabili in aeternum pugnae Lipsiacae; deinde proeliis ad Estagium, Asprenacum, Montem mirabilem, Castellum Theodorici, Augustam Suezionum, et Laudanum interfui. Anno XIV. viginti vulneribus acceptis, et numismate in memoriam huius belli

XXXVI

anso decoratus, in patriam reversus, iterum lectiones Academiae Viadrinae Vratislavienfis frequentavi. Anno XV. autem Lipsiam me contuli, rectore Weissio. In hac litterarum celeberrima Vniversitate in mathesi et astronomia Mollweidium et Moebium, in philosophia Platnerum, in historia naturali Schwaegrichenium, in physica Gilbertum, et in historia Pöllitzium audivi, viros laudatissimos.
